DE MORBIS SENII NONNULLA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIV. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

MICHAEL JOS. NETTEKOVEN
BONNENSIS.

OPPONENTIBUS:
HENR. FELDMANN, MED. ET CHIR. DR. PR.
GUIL. HEILMANN, MED. ET CHIR. DR.
HENR. RAPPARD, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

AVUNCULO DILECTISSIMO

JOANNI ARCK,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REBUS MEDICIS CIRCULI EUPENSIS PUBLICE PRAEFECTO.

Omnibus corporibus organicis certum primordium et exordium posuit natura, incrementum et decrementum. Progerminat seminium, continuo magis magisque ad individualitatem efformatur, donec ad summum perfectionis fastigium perductum, retroformationi subducatur eique denique succumbens, ad universitatem redeat. Sapiens ille etiam hominum vitae est ordo, qui longe plurimam animalium partem longaevitate superent, nisi dira morborum vi, aut temera et nimis matura virium vitalium consumptione, jam prius, quam naturae indicat lex, dierum restringitur numerus.

Primaria autem consumptionis senilis causa habenda est vegetatio et nutritio retrogressa atque depravata, unde corporis totius tabes, seu partium extenuatio enascitur, cui marasmi senilis nomen generale inditum est, ita ut

mors non a singulorum organorum affectionibus, sed ab omnium virium exinanitione, quae functionibus exsequendis haud sufficiant, proficiscatur.

Cui vero pathemati, sit venia verbo, postquam ab antiquissimis jam medicis usque ad hodiernum fere diem nimis ampla tributa est notio, inter recentissimos tamen artis nostrae peritos, sagacissimus *Schoenlein* primus demonstravit, immerito saepe marasmo soli vitae tribui interitum, quin potius illum e certi organi affectione capere originem. Celeberrimus vero auctor ille (*Path. u. Ther., herausgegeben von einem seiner Zuhörer, T. I, p.* 150) in laesa organorum digestionis functione sedem marasmi positam et certis hisce signis in conspectum venire proposuit.

Ciborum sensim diminuitur appetentia, lingua non sordida, quorum et semifluidorum parca et modica copia jam dolores prolicit cardialgicos et vomituritiones. Regio ventriculi mollis et extensa apparet, initio sub attactu haud dolorifica, excretio alvi tarda, major in diem virium collapsus. — In cadaveribus hominum, marasmo illo exstinctorum, dis-

sectis ventriculi volumen, quod mirum est, tenue intestinum aequat, ejusque tunicae contractae et justo solidiores sunt, tunica muscularis et cellularis fere cartilaginea invenitur; raro tunica mucosa malaciam iniit, ut, si *Hunteri* utendum verbis, omnino resorpta sit vel devorata.

Morbi modo commemorati symptomata, carcinomatis aut fungi medullaris ventriculi quodammodo similia, horum morborum specie facile medicum possunt fallere, qui tamen materiis foetidis vomitu ejectis et diarrhoea tam certo plerumque designantur, ut de morbi diagnosi nulla relinquatur dubitatio (*Schoenlein* l. c. p. 151).

Longe tamen abest, ut huic sagacissimi medici sententiae adsentiamus, priusquam larga probata fuerit aliorum experientia, quia potius in omnium functionum vitalium decremento positum esse verisimile est marasmum, quamvis affectionem, a *Schoenlein* primum illustratam, in senibus revera occurrere haud est quod negetur.

Similis quidam, quod ad sedem attinet, morbus nuper a *Nagel* descriptus est, (*Ueber*

das Entkräftungsfieber der alten Leute, eine wenig gekannte und bisher noch nicht beschriebene Krankheit, Altona 1829) affectio scilicet inflammatoria, erysipelacea membranae mucosae totius tractus intestinalis et hepatis, quae haud raro lethalis, nullis aliis signis apertis in conspectum venit, nisi summa debilitate, cute arida, sicca, obstructione alvi pertinacissima, lingua sicca, rubra, febricula denique somnolentia in mortem tandem transgrediente.

Morbo autem modo memorato, et in libro citato uberrime illustrato, cum similibus affectionibus membranae intestinorum mucosae inflammatoriis et juvenilem quoque aetatem infestantibus, tantum est commune, ut immeritum morbi senilis ei ab auctore vindicatum esse videatur nomen.

Neque tamen omittendum est, in *Halleri* quoque bibl. med. P. secunda p. 227 dissertationem quandam, ab *Henrico de Monanthenel* et *Dacier*, Parisiis 1580 conscriptam, citatam esse, in qua ab hepate inflammato marasmus exponitur, quem tamen libellum legere mihi non contigit.

Nemo autem infitias it, marasmi causam praecipuam in assimilatione et nutritione depravata esse quaerendam, quae functiones, ad vitam servandam tam necessariae, aetate infantili et puerili praevalentes, ideoque haud raro turbatae, in senibus deflorescere ac decrescere coeperunt.

Varia nunc digestionis vitia, quae in senibus occurrunt, perscrutari liceat.

Primum dentes vacillant, deinde omnino labuntur, simulque haud raro parulides nascuntur, pus generantes, imo interdum fistulosae. Dentium autem lapsu mandicatio difficilis redditur, quare cibi male confecti ventriculo traduntur, ibique imbecilli et nimis parco liquore gastrico inundati, justo diutius morantur et in chylum haud bonis viribus transducuntur. Inde anorexiam et ventriculi atoniam gigni haud mirandum, quibus nonnunquam accedit vomituritio, vomitus aut a mera atonia, aut a veris vitiis ventriculi organicis, veluti scirrho et carcinomate pendens. — Neque minus senes flatulentia saepe vexantur, fonte vigiliarum, asthmatis, spasmorum. Nascitur illa e ventriculo et intestinis flaccidis, quae humoribus, liquore scilicet gastrico, succo

pancreatico, bile, muco intestinali etc., ad digestionem perficiendam et chylum normalem producendum necessariis, haud satis humectata sunt. Ventriculus autem et intestinorum major minorve pars aëre accumulato distenditur et constringitur. Hinc irregularis motus peristalticus et affectiones spasticae, valde dolorificae, quibus colicae et passionis iliacae nomen inditum est.

Ex atonia intestinorum, quorum iners et segnis humorum digestioni inservientium est secretio, alvi obstructio oritur, nonnunquam vero, propter intestinorum laxitatem alvus nimis liquida est, eoque magis, si talis constitutio intestinorum, ex habitu individuali, jam aetate priori ante senium adfuit. Utrumque malum multa senibus affert incommoda. Alvo enim obstructa, sanguis ad partes remotas imprimis ad caput congeritur, ibique stagnans cephalalgiam provocat, imo quoque vertiginem, apoplexiam; diarrhoea quamvis talia non comparet mala, vires tamen debilitat et languorem adducit.

In systematis digestionis morbis senilibus mentio quoque facienda est fluxus haemorrhoidalis, quo quidem plerumque viri, nonnunquam vero, haud sine levamine et euphoria, etiam

senes vexari solent. Homines enim ab aetate inde virili haemorrhoidibus adsueti, nonnunquam ad senium eas conservant, quae fluentes corporis robusti magis quam debilis praebent documentum. Plethoricis vero haemorrhoidum fluxus vere redditur salutaris, quippe quo vasa, sanguine stagnante scatentia, depleantur, ac, quominus partes nobiliores afficiantur, prohibeatur. Nimiae tantum haemorrhoides, justo copiosiorem sanguinis copiam evacuantes, cum noceant, intra normales limites arcendae sunt.

E digestione vero et assimilatione laesa, cui irregularis sanguinis in abdomine circuitus adjunctus esse solet, morbus aliquis vere abdominalis prodit, arthritis, quae juvenilem rarius, aetatem autem magis provectam plerumque invadere solet, ac tum paroxysmis, vere criticis, materiam peccantem e corpore ejicit, ut integra salus reducatur ac restituatur. Ad quem tamen processum pathologicum feliciter perficiendum cum vires vitales haud exiguae postulentur, senes jam exhaustos, quales plurima pars esse solet, non omnibus numeris pares esse, minime est mirandum; unde fit, ut aut status cachecticus efformetur, variorum morborum semen (arthri-

tis atonica), aut materia arthritica, in partibus externis neque seposita neque hisce emissa, internas aggressa, apoplexiam gignat, gastritidem, innumeraque alia mala (arthritis anomala, retrogressa). In talibus aegrotantibus digestio imprimis laeditur, omnis deperditur escarum cupiditas, alvi excretio irregularis fit etc.

Systematis igitur reproductionis vitiis, in senibus tam variis, tota actio vitalis omnino perturbatur ac violatur. Corporis volumen in diem diminuitur, ad quod restituendum adeps, media aetate in tela cellulosa depositus, resorbetur, musculi emaciati cutem rugatam relinquunt, quae amplior et laxior a corpore pendet. Ne ossibus quidem universalis parcit emaciatio, et totius corporis sustentacula, medulla sensim evanescente destituta et fragilia, functione se abdicant. Ossa igitur vere fracta difficile tantum vel imperfecte conglutinantur neque raro partis destructio vel vita deperdita sequitur (*Richter, Lehre von den Brüchen und Verrenkungen, Berlin* 1828, p. 46).

Malum aliquod non tam raro obvium, ab auctoribus vero nondum descriptum optime illustrat celeberrimus *Schoenlein* in lib. cit. T. III, p. 93, cui nomen tribuit rhachitidis seni-

lis. Praecipuum ejus symptoma proponitur columnae vertebralis curvatio, e duplice causa derivanda. Nascitur enim aut e cartilaginibus intervertebralibus tabefactis, unde vera kyphosis, ossibus ipsis nullo modo mutatis, aut, sicuti in rhachitide stricte sic dicta, e malacia corporum vertebrarum, praecipue dorsalium inferiorum et lumbalium superiorum, ita ut nonnunquam cerae instar emolliantur et kyphosis partialis aut scoliosis efficiatur. —

Partium autem durarum dislocatione nervi medullae spinalis premuntur et laeduntur, quare paralysis dimidiata aut postea perfecta vitae ponit exitum, nullis medicaminibus neque praesidiis avertendum. — Aetate ceterum senili ligamenta et cartilagines gracilitate sua privantur, rigidae fiunt et contracturis et anchylosi a functione normali exercenda prohibentur.

Neque minus systema nervorum communi corripitur labe. — Considerare liceat primum atrophiam cerebri senilem, cujus complures auctores mentionem fecerunt. Animi functiones majoris minorisque dignitatis abolescunt, reminiscendi deletur facultas, organa sensus deprimuntur et simul adest somnolentia. Cerebri autem emaciati index certissimus et

vere admirabilis est cranii inaequalis forma et nonnunquam impressa, quacum contrarii lateris observatur paralysis. Cavitate cranii in cadaveribus dissecta, cerebri volumen apparet diminutum, ut integumenta ossea non plane expleat. Tunc in conspectum venit atrophia partis medullaris, quae magis compacta et opaca est quam in statu normali; dura mater invenitur plicata; nervi autem adspiciuntur cerebri atrophiae haud participes; ossa cranii durissima sunt et diploë carent.

Malum istud senile, viros magis quam mulieres invadens, apoplexia et paralysi aut hydrocephalo chronico interimit, cum natura partem, cerebro vacuam, quamvis cum vitae damno et pernicie, fluidis implere conetur.

Apoplexia per se sanguinea, morbus praecipue senilis, hoc loco commemoranda videtur, quia ad morbos pertinet nervosos; est enim nihil aliud nisi nervorum paralysis, quorum vis, ad sanguinem promovendum fracta, disproportionem inter affluxum et refluxum relinquit. Inde sensus et motus abolitio, relicta vel aucta functione cordis et pulmonum. Symptomata autem pathognomonica sunt: stertans pectus, spumans saliva, oculi rigidi sub palpebris conniventibus occulti, conjunctivae

vasis sanguine scatentibus, facies turgida, rubicunda, pulsus durus, tardus, magnus, sensuum internorum et externorum sicuti facultatis movendi defectus.

Apoplexia nervosa quoque senes plane inanes saepe afficit et enecat; serosa in hominibus leucophlegmaticis occurrens et convulsionibus inprimis stipata, idem affert periculum, quorum tamen morborum, cum non aetati senili omnino proprii sint, explicationem hic omittere nobis liceat.

Virium vitalium, nervearum decrementum organis sensus inest senili aetate et quidem potissimum visus et auditus, quo senes, a mundo externo jam vivi separati et sejuncti, summas capiunt molestias et, perpetuo moerore lacerati, optatum cupiunt finem.

Visus vero duplice depravatur malo mere organico et dynamico, cataracta et amblyopia et amaurosi. De cataractae, quae etiam suffusio aut gutta opaca nominatur, natura, falsas ex toto opiniones prisci auctores proposuerunt, ex quarum vetustissima *Celsi*, ad saeculum usque decimum sextum propagata, cataracta in membrana aliqua praeternaturali pone pupillam posita esse dicebatur.

Qua de re postquam *Fabr. de Aquapen-*

dente primum dubitare coeperat, ***Remi Lasnier***, medicus Parisiensis, aut ut alii voluerunt ***Franziscus Quarré*** aut secundum alios ***Rolfink***, primum morbi naturam illustravit, quem lentis malum organicum esse contendit. Nostris quidem temporibus, cataractam senilem verum lentis plerumque marasmum esse extra omnem dubitationem positum est. Organum enim istud, materia inter fluidam et solidam quasi intermedia compositum, liquoribus condensatis magis opacum fit et obscuratur, quo accidit, ut lucis radii ad retinam penetrare haud amplius valeant (***Jüngken Augenheilkunde. Berlin*** 1832. ***Pag.*** 452). Quaenam tamen, praeter aetatis ipsius indolem ad morbum huncce provocandum conferant, vix certo affirmandum, cum senes ceterum robustissimi coecítate afficiantur. — Nostrorum igitur temporum experta assentire nos haud patiuntur ***Fischero***, qui putavit (de Senio ejusque gradibus et morbis nec non de ejusdem acquisitione tractatus. Erfordiae 1760. p. 141) familiariorem esse cataractam senibus habitus laxi, repleti quam habitus stricti, ideo, quod in illis vasa omnium organorum sint magis tenuia et angusta, et ex hac proprietate facilius obstructiones patiantur, quam in illis, qui

vasis gaudeant magis amplis, tunc fieri, quod in prioribus humor crystallinus facilius pelluciditatem amittat, eoque ipso coecitatem ex cataracta inducat.

Cataracta senilis, a vero lentis marasmo orta, est cataracta lenticularis et crystallina et apparet, opacitate a pupilla ipsa paullum remota, in medio magis intensa marginibus, canescente vel albescente colore. Pupilla dilatata aegrotantes adhuc res conspiciunt, sicuti generatim lente jam satis opaca visus facultas haud omnino deperditur.

Neque tamen semper a vitio illo organico visus in senibus hebescit, quin potius mera nervorum imbecillitate huicce aetati propria et non miranda depravatur, quae amblyopia aut summo in gradu amaurosis dicitur.

Denique peculiaris quaedam in senibus invenitur ophthalmia, quae senilis habet nomen, occupans conjunctivam. Haec membrana, colore normali, laete albo et splendente, privata plicatur, colore induitur ex albido rubescente, vasis varicosis irrigatur et pingueculis ad corneae marginem permittit sedem. Fluida oculo secreta inprimis lacrymalia magis opaca fiunt et glandularum Meibomianarum mucus tenacior, qui in palpebrarum marginibus et

in oculorum angulis coacervatur, temporeque nocturno partes istas quasi conglutinat, ut matutino primo cum aliqua difficultate aperiantur. Nec desunt dolores ardentes, prurientes, illis ab alieno corpore oculo immisso similes, quibus a partium relaxatione accedit blepharophthalmus partialis et ectropium sarcomatosum.

Quae auditus organon in senibus afficiunt mala, sunt plerumque: inflammatio erysipelacea meatus auditorii externi, et dysacousis nervosa; altera propter retentum aurium cerumen, quod majori in copia secretum non mature evacuatum fuit, et auditum difficilem reddit, ita ut cerumen obduratum et degeneratum et in materiam calcaream haud raro mutatum nonnunquam partes occupatas vere exulceret. Inflammatio ea erysipelacea, quamvis etiam juniorem infestans aetatem, longe frequentissima in senibus occurrit. *(Erfahrungen über die Erkenntniss und Heilung der langwierigen Schwerhörigkeit von Dr. W. Kramer. Berlin* 1833*).* —

Dysacousis autem nervosa ex nervi acustici vitio, quem atrophicum esse jam ex analogia verisimile est, in subsurditatem vel surditatem transit, in quam oppugnandam opera datur plerumque frustranea et ne *Kramer* qui-

dem in libro suo, summa diligentia atque experientia elaborato, ullum affert exemplum auditus perfecte restituti.

Etiam odoratus, gustus et tactus in senibus obtunduntur.

Ponderatis igitur organorum sensuum affectibus etiam sensus internos sic dictos considerare propositum est.

Praevalet in senibus memoriae debilitas, cujus fons aut mera cerebri atrophia est, quam supra monuimus, aut sola aetatis hujusce imbecillitas, qua corporis sicuti animi vires decrescere necesse est, et judicium ipsum, summum aetatis provectae decus, ex quo consilium capere consuevimus, magis magisque tantopere opprimitur, ut infantis instar vitam suam degant longaevi.

Transeamus nunc ad metamorphoses eas, quibus alia organismi systemata ex inevitandis naturae legibus succumbunt. Cor fit durum, macerum, valvulis, praeprimis semilunaribus et arteria coronaria ossificatis (*Haller* El. Phys. lib. IV, Sect. III, p. 325, *Bagl.* oper. omn. p. 414). Arteriarum tunicae densiores fiunt, lumine angustato, membranis passim ossificatis. Sic *Michaelis* casum recitat, qui omnes arterias naturam ossium induisse do-

cet (*Richteri* bibl. T. VI. pag. 106). Venarum septa extenduntur et varices referunt; vasa lymphatica et glandulae lymphaticae conglobatae concrescunt et in organis quibusdam, functione naturali jam orbis, veluti in dentibus, mammis, testiculis omnino evanescunt. (*Cruikshank Gesch. der einsaug. Gefäſse. Leipzig* 1794. — *Soemmering* Pathol. Syst. absorb. Fr. ad Moen. 1795, p. 46. — *Haller* Elem. Physiol. vol. VIII. p. 70.)

Morbus quidam memoratu dignissimus, quo aetas senilis infestatur, est gangraena senilis, ab aliis auctoribus ab ossificatione vasorum, ab aliis vero a vitae ratione luxuriosa et libidinosa derivata, quamvis nonnunquam etiam urinae secretio imminuta possit accusari. — Doloribus arthriticis interdum praegressis, pustula parva, nigricans, digitos pedis occupat, quorum cutis, epidermide denudata, colorem intense rubrum ostendit. Morbus lente tantum progrediens, ad proximos sensim propagatur digitos, qui modo tumefacti et exulcerati, modo exsiccati tantum procidunt. Gangraenae, mox pedis ipsius limites superanti, dolores accedunt vehementissimi et febris. — Nonnunquam vero digiti, sine ullis doloribus et propter vires vitales mere extinctas, exsiccantur et decidunt,

postquam eorum superficies, calore animali destituta, exsiccata et colore nigricante insignita est.

Pulmonum in senibus exigua tantum mutatio animadvertitur, quorum integumenta pleuritica solum condensantur. Cartilagines vero laryngis, tracheae et bronchiorum osseae fiunt, et laryngis ligamenta indurescunt, quae simul cum mutata narium orisque cavitate et dentibus deperditis, vocem senis faciunt ingratam et tremulam.

Aetas senilis, infantili maxime similis, id simul ei habet commune, quod illa systema uropoeticum, aetate juvenili et virili magis integrum, vario modo aegrotat, cujus affectionum memorabilissima est urodialysis senilis, a *Schoenlein* (l. c. T. III. p. 320) lucidissime descripta. Urinae magis magisque minor copia excernitur, quae est colore fusco aut rubro, turbida, sedimentum largum deponens, odore eximie ammoniacali, post excretionem mox putrescens, acido urinoso valde impraegnata. Excretio ipsa urinae quidem acerrimae, ideoque in vesica haud diu retinendae, frequentissima et doloribus ardentibus stipata. Partes adsitae urina excreta saepe rubescunt et excoriantur. Vesicae urinariae, ubi mor-

bus per aliquod temporis spatium permansit, septa propter nimis celerem urinae evacuationem corrugantur, capacitate expertia redduntur, incrassantur et obdurescunt.

Molestiis illis digestionis laesae accedunt signa modo exasperata, modo remittentia ac denique dolores rheumatici in extremitatibus inferioribus haud raro nervi ischiadici et cruralis directionem sequentes, quibus medici sub ischiadis specie facillime possunt defraudari. — Deinde cum gravissimo pruritu in cute, praecipue dorsi et crurum, exanthema specificum vesiculosum efflorescit, nonnunquam etiam esserae simile, a nonnullis auctoribus et vulgo quoque »*die Hautschabe der Greise*« dictum. Vesiculae fluido pellucido impletae, locis fere lividis coacervatae conspiciuntur, corpore magis calefacto vehementer prurientes, refrigerato plerumque plane disparentes, quod tamen scabiei connubio prorsus prohibetur. — Morbo autem, aptis praesidiis non superato, sensim adjungitur tussis cum respiratione difficili et sputis spumosis, copiosis, ammoniacali gustu et odore, vespertino tempore exasperata (asthma sic dictum urinosum). —

Haud raro quoque materia morbosa extremitates inferiores invadit et sub levi tantum

pruritu, vel sponte ulcera phagedaenica, corrodentia (fluxus sic dictus salinus, *Salzfluſs*), facile gangraenescentia in interna tibiae plaga apparent, quae lympham tenuem et corrodentem secernunt, in crustas quasi salinas abeuntem et, ubi siccata est nigrescentem, colore, odore et qualitate vere urinosa. Etiam ophthalmia senilis, supra exposita, ex eodem fonte nasci confirmat *Schoenlein* (*Triefauge*). Postremo etiam facies corripitur. Efflorescit enim in genis vel circa apicem aut angulos nasi, vel in labio superiori, nodulus durus, lividus, vehementissime pruriens, qui incaute erosus in ulcus abit, ichorem tenuem, corrodentem secernens, qui in crustas saepe mutatur. Morbus iste sub nomine herpetis rodentis, exedentis, lupi, scirrhi labialis, scirrhi superficialis, a multis auctoribus descriptus, enecat nonnunquam ascite, saepius hydrothorace, interdum ulceratione pulmonum aut suffocatione (catarrho suffocativo) et apoplexia, saepissime autem perfecto marasmo, postquam vires agrypnia ex pruritu et copiosa ichoris secretione penitus exhaustae sunt. — Cadaveribus dissectis morbi elucet natura. Renes enim laxi, sanguine destituti, ureterum et vesicae urinariae tunicae incrassatae, vesica ipsa con-

tracta et fere corrugata, sanguis nigrescens inveniuntur. Praeterea apoplexiae, hydrothoracis, hydrocephali haud desunt signa, e quibus serum odore urinoso in cavitates effusum mali originem prodit.

Involutionis aetas, qua systematis uropoetici functio peculiari modo commutatur, praecipue hujus morbi praedispositionem offert, quae causis externis, vel cibis et potu nimis acribus et salinis, sicuti cutis functione suppressa, magis adaugetur.

Functione renum suppressa, secretionem metastaticam seri, vere urinosi, in cavitatibus, membranis serosis investitis, aetate senili ita ut infantili fieri contendit *Jahn* (*Medicinisches Conversationsblatt, herausgeg. v. den D. D. Hohnbaum u. Jahn. Jahrg.* 1832. *S.* 46). Ita auctor ille hac de causa senes in morbos, hydrocephalo et encephalitidi typhosae similes, vel quoque in pleuritidem, asthmaticis affectionibus diu antea praesagitam, incidere vidit, quippe qui morbi, larga seri in cava cranii et thoracis effusione, exitum lethalem adduxere. Talis anuriae causam quam maximam partem ipsum latere, ingenue confitetur, modo ab irritatione inflammatoria et congestione arteriali, modo a congestione venosa aut

venositate adaucta, modo ab affectione renum spastica et paralytica, auctor derivat.

Abercrombie quidem anuriam renalem describit (*Salzburger med. Zeit.* 1822. *Bd.* 1. *S.* 67.) irritatione inflammatoria generatam, in qua tamen provocanda minus accusanda est aetas senilis, ad inflammationem non tam prona.

Paralysis vesicae urinariae senili aetate frequentissime observatur, qua sensibilitatem organismi et irritabilitatem, imprimis musculorum, diminui, telam cellulosam relaxari, nervorum vim decrescere, omnesque partes quasi rigidiores fieri, jam supra monuimus.

Prodromi morbi ex auctoritate *Lentini* (*Lentin Beiträge zur Arzneiwissenschaft* 3. *B. S.* 37. 50) sunt: debilitas peculiaris dorsi, ingressus vacillans, medullae spinalis aegrotantis quidem certi indices, quibus fit, ut vesica urinaria, normalis contractionis expers, ad ingentem usque magnitudinem relaxetur, ut vel hydropis, interdum ascitae suspicionem excitet (*P. Frank*, oratio de signis morborum ex corporis situ partiumque positione petendis Ticini 1788).

Zuber, *Lobstein* illustrissimum secutus, paralysin corporis vesicae distinguit a paralysi sphincteris vel potius colli vesicae; altera,

tota fere vesica, praeter collum, paralysi affecta, urina quominus ejiciatur omnino prohibet, quare retinentia urinae significatur, altera incontinentia urinae.

Symptomata paralyseos vesicae sunt: sensus tensionis, oppressionis et gravitatis in vesica, quae urinam nullo modo emittere valet; summa vesicae urinariae extensio, cujus et per abdominis integumenta et per rectum percipitur fluctuatio. — Morbus autem, non celerrime sublevatus, provocat anxietatem, vomiturititionem, vomitum, deliquium animi, sudores frigidos, inflammationem, imo etiam gangraenam vesicae, quo malo clarissimus interiit *Tycho de Brahe* (Petri Gassendi Tychonis Brahei vita. Paris 1654).

Causae hujus morbi sunt: arthritis, apoplexia, morbi organici medullae spinalis, renum, vesicae urinariae ipsius, prostatae, causae mechanicae, veluti delapsus et quassatio, denique spasmus et inflammatio vesicae urinariae.

Alter vesicae urinariae morbus senilis est crassitudo, quae in cadaveribus digiti aut pollicis inventa est, ita ut totam vesicae cavitatem interdum expleat et ipsum calculum proxime amplectatur (*Riveri* prax. med. lib. XIV cap. I. *Morgagni* de sedibus et causis morb.

epist. XLII. art. 33). Fibrae autem musculares hypertrophicae tunc non colore laetius rubro insignes sunt, sed incrassantur tantum et cartilagini similis fit vesica, quae, haud amplius contrahenda, super ossibus pubis tactu percipienda, efficit sensum gravitatis, incontinentiam urinae denique, paralysin perfectam extremitatum inferiorum.

Exigua tamen vesicae urinariae incrassitudo, cum aetati senili propria sit, neque ullas procreet molestias, non pro morbo habenda est.

Enuresis denique senilis, quae aut perpetua occurrit aut tantum nocturna, ex atonia partium illarum, aetate genita, aut ex urina nimis acri proficiscitur, quae, ex renibus in vesicam delata, fibras musculares irritat easque ad lotium cito evehendum propellit.

Paralysin autem et crassitudinem membranarum vesicae urinariae subesse enuresi, jam supra adnotatum est.

Restat adhuc ut de prostatae morbis, senilem invadentibus aetatem, memoratu dignissima addamus, quippe quibus, urinae excretione aut ex parte tantum, aut omnino prohibita, si non vitae periculum admoveatur, certe tamen tantae afferantur molestiae, ut aliquan-

tum, quoad fieri potest, levaminis afferre cuivis medico cordi esse debeat.

Ex recentioribus auctoribus praecipue *Everhard Home* (Practical observations on the treatement of the diseases of the Prostate Gland Vol. I. London 1811. Vol. II. Lond. 1818. — *A. E. Home, praktische Beobachtungen über die Vorsteherdrüse, aus dem Engl. von W. Sprengel. Leipzig* 1817) diligentissime et sagacissime de prostatae morbis disseruit, cui quoque tertii medii lobi detecti debetur meritum.

Inflammatio glandulae prostatae apparet: sensu gravitatis in loco affecto et ardoris, doloribus continuis urentibus, pulsantibus, manu ad perinaeum apposita et alvi excretione magnopere adaucta. Frequens mingendi cupiditas ad urinam emittendam saepe aegrotum erogat, quae non nisi guttatim et simul cum tenesmo propellitur, cujus sensus, quasi corpus alienum in ano sit, sempiternus est comes. Neque desunt signa cetera febrilia, pulsus frequens, calor totius corporis adauctus, sitis justo major, lassitudo artuum etc.

Morbi diagnosis exploratione locali facile stabilitur, cum index manus in intestinum rectum immissus, glandulam prostatam tumidam

et calidam persentiat. Excreta alvi ipsa, propter intestinum rectum, tumore glandulae angustum, partis intumescentis ostendunt impressionem. Specillum, per urethram introductum, usque ad collum vesicae urinariae vix et maximis tantum doloribus provehitur, ad quem glandula tumefacta arcet aditum.

Inflammationem prostatae in senibus generant praeter calculos, praeprimis causa arthritica et haemorrhoidalis, refrigeratio, denique spirituosorum abusus. — Morbus iste, non fauste et perfecte solutus, sicuti non raro accidit, in suppurationem transit et parenchymatis glandulae ipsius et telae cellulosae adjacentis. Tunc horripilationes intrant et dysuria perseverat. Abscessus vero aut in vesicam urinariam et urethram materiam puriformem effundit, quae urinae admixta evehitur, aut per rectum rumpitur, aut per perinaeum ipsum petit exitum, ut fistulae urinariae exoriantur saepe incompletae, in quibus urina stagnans vicinas partes corrodit et consumit. Febrem igitur hecticam accidere haud mirandum, cum pulsu frequente, molli, debilitate totius corporis, colliquationibus.

Inflammationi autem prostatae, in senibus, viribus exhaustis et arthritica dispositione prae-

ditis, obviae, multo saepius induratio succedit quam suppuratio, immerito scirrhus prostatae nominata, quam *Baillie* optime descripsit atque illustravit. (*Baillie, on morbid Anatomie. Chap. XXII. deutsch, Berlin* 1794. — *J. D. Herholdt über die Geschwülste d. Vorsteherdrüse in Arnemanns Mag. f. d. Wundarzneiwissenschaft. II. B.* 1799. S. 101. — *Desault, traité des maladies des voies urinaires, publié par Bichat. Paris* 1798). Glandulae induratae tumor ingentem saepe praebet magnitudinem, ut vel pugnum adaequet, quin etiam, si *Bartholini* auctoritatem respiciamus, hominis adulti cranium.

Tumor glandulae aut totalis est, quo vesica bipartita fit, aut partialis; lobuli dextri aut sinistri, quo catheteris immissio difficilis redditur et tunc tantummodo effici valet, ubi medicus instrumento, ad latus unum alterumve vertendo, impedimentum praetereat.

Haud raro canalis urethrae tumore irregularis fit et angustus, quem specillum, sicuti urina ejicienda, difficile tantum penetrare valet. — Lobuli tertii autem tumor, secundum *Ev. Home*, vesicae urinariae ostium, quod in urethram transit, admodum valvulae praecludit, quo fit, ut aegrotus corpore tantum resupinato et cruribus diffusis urinam et quidem tenui solummodo fluxu emittat.

Prostatae tumorem comitatur plerumque inflammatio chronica hujus organi et vesicae urinariae, cujus parietes sensim incrassantur et degenerantur. Difficultas et cupiditas lotii edendi et alvum deponendi in diem major fit

et vix toleranda, cui accedit sensus, quasi corpus alienum ano insit, et largior liquoris prostatici effluxus, urinae saepe admixti, donec aut febris hectica, aut perfecta urinae retentio vitae interitum accelerat (*Ev. Home* l. c. cap. III).

Opusculo nostro finem imposituri, admonendum, salutares re vera nonnullos esse morbos seniles, cautissime igitur sanandos. Ad quos numeranda sunt ulcera pedum habitualia, exanthemata chronica, hydrocele, quibus improviso suppressis, alia mala, multo graviora, enascuntur, cum ad materiam morbosam quasi derivandam ea constituerit natura. — Sic casum observavimus, ubi senex herpete, qui per annos permultos duravit, incaute sanato, in hydrothoracem incidit, qui exanthemate iterum provocato feliciter cessit; neque tamen desunt exempla, ubi senes subita morte per apoplexiam ea de causa sunt enecati. Ubi igitur prodesse non potes, cave ne noceas.

V I T A.

Michael Josephus Nettekoven, fidei catholicae addictus, natus sum Bonnae anno MDCCCVIII, parentibus Francisco Nettekoven et Anna Maria e gente Arck. Patrem per quatuor abhinc annos emortuum lugeo, matrem Deo favente etiamnunc superstitem pio animo veneror. Primis litterarum rudimentis in scholis patriae urbis imbutus, Gymnasium ibi florens adii.

Superato maturitatis examine autumno anni MDCCCXXVIII a rectore t. t. magnifico Ill. Hefftler civium academicorum Universitatis Rhenanae et ab Ill. Bischoff, t. t. ordinis medicorum decano spectatissimo, medicinae studiosorum numero adscriptus sum.

Per quatuor semestria has frequentavi scholas et philosophicas et medicas:

Ill. van Calker de logice et psychologia, Beat. Diester-

weg de Algebra, Ill, Heinrich de Juvenalis satiris, Ill. a Muenchow de physice experimentali, Ill. Bischof de chemia, Ill. Nees ab Esenbeck, natu majoris, de botanice generali et speciali, Ill. Nees ab Esenbeck, natu minoris, de botanice pharmaceutica, Ill. Noeggerath de mineralogia, Ill. Goldfuſs de zoologia. — Ill. Joan. Mueller de encyclopaedia et methodologia medicinae, de physiologia, de pathologia generali cum semiotice; Cel. Weber de osteologia et anatomia, Ill. Mayer de anatomia; Ill. Nasse de therapia generali et anthropologia; Ill. Harless de materia medica; Ill. Kilian de chirurgia. In cadaveribus secandis duces mihi fuerunt Ill. Mayer et Weber.

Ineunte hieme anni MDCCCXXX ad academiam Ruperto-Carolinam Heidelbergensem me contuli, ubi ab Ill. Gmelin, t. t. prorectore magnifico, receptus sum inter cives academicos.

Quibus vero in hac academia virorum Ill. scholis per tria semestria usus sum, hae sunt:

Ill. Puchelt de pathologia et therapia speciali; Ill. Chelii de ophthalmologia et de operationibus chirurgicis cum exercitationibus in cadaveribus instituendis; Ill. Tiedemann de anatomia et de historia evolutionis foetus; Ill. Naegele de arte obstetricia; Cel. Breidenbach de fasciis ligandis. — In cadaveribus secandis duces mihi fuerunt Ill. Tiedemann et Ill. Fr. Arnold. Adii exercitationes clinicas chirurgicas et ophthalmiatricas Ill. Chelii; obstetricias Ill. Naegele.

Quo tempore praeterlapso, Berolinum profectus hujus urbis regiae in almam musarum sedem, ejusque civium in numerum, rectore magnifico Ill. Marheineke, receptus, nomenque apud decanum t. t. spectatissimum Beat. Rudolphi professus sum.

Ubi vero primum adveni protinus morbo correptus atrocissimo, plane per totum primum semestre aestivum impeditus sum, quominus lectiones mihi propositas frequentaverim. — Quibus vero postea interfui, lectiones hae sunt:

Anatomia organorum sensuum et anatomia pathologica apud Ill. Joan. Mueller.

Adii denique exercitationes clinicas medicas Ill. Bartels et Cel. Wolff, chirurgicas Ill. Rust et Cel. Dieffenbach, chirurgicas et ophthalmiatricas Ill. de Graefe et Ill. Juengken, policlinicas medicas et chirurgicas Cel. Truestedt.

Atque his quidem omnibus praeceptoribus gratias ago quam maximas, semperque profecto habebo.

THESES DEFENDENDAE.

1. Calor animalis non respirationi magis quam ceteris functionibus debetur.
2. Stricturarum urethrae cauterisatio rejicienda.
3. Partus artificialis praematurus in primiparis quoque adhibendus.
4. Ligatura penis amputationi non praeferenda.
5. Febris hectica amputationem non vetat.